PROTOSCHOLARCHÆ DIGNITATEM

VIRO

MAGNIF. PRÆNOB. ET CONSULTISS.

DOMINO

ANTONIO GIERING,

PRÆCONS. ET PRÆSIDI

NOB. SENATUS

MERITISSIMO,

DIE 19. MARTII A. R. S. MDCCXXX[illegible]IIX.

FELICITER COLLATAM,

HELICON THORUNENSIS

GRATVLARI,

VIRIQVE OPTIMI PATROCINIUM

OMNI CUM OBSEQUIO

AC

REVERENTIA,

SIBI EXORARE VOLUIT

THORUNII

Impreſſit Joan. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typogtaphus.

RIſit more ſuo Juvenalis ſtemmata priſca
Romulidum, Galbam auriculis naſoq; carentem,
Dimidios Curios, in curribus Æmylianos
Stanteis, atque patres fumoſo fingere gypſo.
Ille quidem ſale perfricuit pupugitque Quirites,
Quod, quæ nobilitas ſumma eſt atq; unica, priſcam
Virtutem temſere mali, nil nomina præter
Majorum poterant titulis incidere magnis.
Verum abſit, ſvetum hoc cunctis impingere crimen
Temporibus, jam nolle homines niſi ſangvini niti,
Conſumi temere veteri rubigine ferrum,
Non eſſe antiquas cupiant qui diſcere leges,
Qvi patriam exornent ſtantem, firmentqve cadentem.
Imo felices quis non laudaverit urbes,
Quæ gentes numerant antiquo ſtemmate natas,
Qveis terna interdum quaternave ſecula monſtrant
Majores, fama atque inſignes faſcibus omnes!
Hi ſunt, qui mores veteres præſcriptaque legum
Toto ex aſſe tenent, libertatisq; decora
Præmia, qui ad lancem poſſunt librare, quid obſtet,
Et qvid communem queat emunire ſalutem.
Ergo iidem natis, iterum qvos ſerior ætas
Protulit, inſtillant virtutis ſemina, amorem
Dilectæ patriæ, moderamen juris & æqvi,
Omnia quo ſecura ſient, & Copia rerum
Undiqve conſurgat, vis atque potentia nulla
Deprimat exhauſtos, temnatque ignobile vulgus.
Hæc faciunt florere urbeis; hoc tramite ad aſtra
Tenditur, ac volueri præluſtria nomina curſu
Præpes fama vehit, geſtitque inſcribere faſtis.
Felix PYRGOPOLIS, quæ deſignare togatos
Heroas potis eſt, quorum virtuſque fidesqve

Eminuit

Eminuit, quorum generis primordia constant,
A longo deducta ævo, clarataqve scriptis!
Olim habuit (*) PAPIOS, ROTHIOS, VIGILESQUE, VIALESQUE.
ESKENIUM & COYUM, *geminos Mavortis alumnos;*
Tum quæ de PRATO, TILIA, *volucriq;* CABALLO,
Vel ROSEA *de* VALLE *sibi cognomina sumsit*
Natio: digni omnes hac posteritate fruisci,
Quæ poterat vultum veterem moresq; referre.
Isti omnes subiere polum, sua nomina celsi
Congaudent descripta manu libroque Tonantis.
Sed nondum afflictæ periit decus omne Thoronæ
Surculus è multis late sua brachia pandit,
Radices altas agitans, ac vertice nutans.
Namque urbis patriæ læta ad primordia tendit
GIERINGIANA domus, quæ post tria (**) *Secula nomen*
Et decus omne tulit: nihil est optatius illa;
Dinnumerat fasces, & avos percenset avorum.
Certum hoc indicium est, superis placuisse labores
Pro patria exhaustos, gentem placuisse vetustam,
Dignam, quæ æternum sobolem diffundat in ævum,
Dignam, pro meritis cui cedat sella curulis.
Felix sorte TUA, qui tali stemmate natus,
MAGNE VIRUM, gentem superis distingvis amicam
Fascibus, atque novo abs TE natos robore firmas!
Talia fert pietas, hæc virtus præmia confert,
Justitiæque tenor, civilisque ordinis omni
Tempore certus amor. Gaudent hoc numere PATRES CON-

(*) Quæ hæc sint gentilitia nomina, è Germ: Latine expressa, vid. Carmen de Hermath: Thorun: an: 1720. edit.
(**) De his nuper egit Ampl. Dn: J. G. Elsner. in Schediasi de dignit. Consul. Thorun.

CONSCRIPTI: gaudent, qui Sacra oracula pandunt:
Cuncta ætas gaudet, verbis conceptaque vota
Nuncupat, ut liceat, ſuperum accedente favore,
Te patriæ rectore frui & PRÆCONSULE ſalvo.
Pectora noſtra etiam pertentant gaudia, qvando
Sunt permiſſa ILLI moderari frena Lycei,
Qui prono in Muſas animo, fulcire labantes,
Erigere & lapſas poterit, novaque incrementa
Addere depreſſis, ne gloria concidat Urbis.
Olim equidem Daphnin luxit Pimplea peremtum;
Poſt Daphnin iterum raptum deflevit Amyntam;
Surrexit dolor inde novus, quum funera Cygni
Vidimus, extremumque melos ceciniſſe jacentem.
Hunc nobis voluit jam compenſare dolorem
Provida cura Patrum, noſtro ſol addite Pindo!
Lætius ut poſſet nigris conſurgere ab umbris
Ingenium, viresque animi, quas pectore toto
Jam TIBI deferimus, patrii tutela Lycei!
Quid ſupereſt? geminare preces, ſuſpiria cælo,
Commendare decet. MÆCENAS optime, vive:
Vive diu patriæ: viridanti flore Juventa
Tempora circumdet: non TE vel tarda ſenectus,
Vel curæ affligant: perſtet TIBI robur in omne
Conſilium, eventuque ſimul potiare ſecundo.
Vive TUÆ genti, & majorum ſtemmata lætus,
Majorumque tenax, ad ſeros mitte nepotes.
Vive etiam nobis, pateant tua tecta Camenis,
Incumbet quoties Aquilo, & fera murmura tollet.
Limpida ſic nunquam Muſis Permeſſidos unda
Deficiet, nunquam mater Thorona ſeneſcet.